HOMILIA
DICENDA IN MATUTINIS
IN FESTIS UNIUS MARTYRIS
non Pontificis, quando in eis dicitur Missa. In virtûte tua.

Léctio sancti Euangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 10.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolîte arbitrári, quia pacem vénerim míttere in terram, non veni pacem míttere, sed gládium. Et réliqua.

Homilîa sancti Hierónymi Presbyteri.

Lib. 1. *in Matth. cap.* 10.

SUprà díxerat, Quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine; & quod in aure audîtis, prædicâte super tecta. Nunc înfert, quid post prædicatiônem sequâtur. Ad fidem Christi totus orbis contra se divîsus est: unaquæque domus & infidéles & credéntes hábuit, & proptéreà bellum missum est bonum, ut rumperêtur pax mala. Tale quid & in Génesi advérsùs rebélles hómines; qui moti fúerant de Oriénte, & turrem extrúere festinábant, per quam cœli alta penetrárent, fecísse scribibitur Deus, ut divíderet linguas eôrum.

℟. Corôna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitâtis, glória honôris, & opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corônam de lápide pretióso. Expréssa.

Lectio viij.

VEni enim separâre hóminem advérsùs patrem suum. Hic locus propè iísdem verbis in Michæa Prophéta scríbitur. Et notándum, ubicúmque de véteri Testaménto testimónium pónitur, utrùm sensus tantùm, an sermo conséntiat, Qui amat patrem aut matrem

trem plus quam me, non est me dignus. Qui antè præmíserat, non veni pacem míttere, sed gládium, & divídere hómines advérsùs patrem & matrem, nurum & socrum; ne quis pietâtem religióni anteférret, subjêcit dicens: Qui amat patrem aut matrem plusquam me. Et in Cántico légimus canticôrum: Ordinâvit in me charitâtem. Hic ordo in omni affectu necessárius est: ama post Deum, patrem, ama matrem, ama filios.

℟. Hic est verè martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit. * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitâtis glóriam quæsivit, sed ad cœléstia regna pervênit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi regnum Dei. Qui minas. Glória Patri. Qui minas.

Lectio ix.

ORdo pulchérrimus: ad prædicatiônem mittit, docet perícula non timénda, affectum súbjicit religióni. Aurum suprà túlerat, ac de zona excússerat: Dum Euangelistârum conditio. Unde ergo sumptus, unde victus necessária? Austeritâtem mandatôrum spe témperat promissôrum: Qui récipit, ínquiens, vos me récipit: & qui me récipit, récipit eum qui me misit; ut in suscipiéndis Apóstolis unusquísque credéntium Christum se suscepísse arbitrêtur.

Te Deum laudâmus.